

pastores, atque in populi pastorisatione progrediuntur et in alias terras croaticas post invasiones.

Populum regebant fere independenter ab episcopo secundum jus tunc vigens (ante introductionem reformatio-  
num Concilii Tridentini), ditati ad hoc cumulo jurium, pri-  
vilegiorum, favorum ac gratiarum relate ad curam populi  
ducendam.

Ante reformationem Concilii Tridentini certo certius possident parochias formales cum sede in ipsis conventibus formatis, ac alias ab illis localiter distantes, attamen eisdem subjectas et unitas in spiritualibus et temporalibus. Et hoc systema administrationis perduravit usque ad nostra tem-  
pora.

Ulterius quaestio erit solummodo de limitibus juris-  
dictionis ex parte diversae auctoritatis in parochos et paro-  
chias occasione modificationum in jure religioso in genere  
ac ob speciales quasdam provisiones pro Bosna et Hercego-  
vina, ratione difficilis conditionis ecclesiae bosnensis sub  
oppressione othomana, pedentim introductas.

Reformationes Concilii Tridentini et Constitutionum Apostolicarum etiam in ambitu totius provinciae Bosnae Argentinae applicatae sunt decursu saeculi XVI—XVII, sique totum regimen pastorale ad normas juris communis ordinatum fuit. Speciales vero provisiones referebantur ad e-  
piscopi commorationem, provisionem pro ejus sustentatione,  
ac ad casum sedisvacantiae dioecesis, quo provincialis regu-  
laris provinciae auctoritate Vicarii Apostolici fungebatur.

Vertente saeculo XVII et ineunte XVIII Dalmatia per-  
rexit sub Franciscanorum cura pastorali remanere. Illa jura ab immemorabili acquisita successive ab Ordinariis dioe-  
sanis agnita fuere ac a diversis sibi succendentibus civilibus guberniis confirmata usque hodie in vigore permanent. In Slavoniae vero partibus jam vidimus, qualiter Franciscanis in illis agitationibus pro parochiis coram diversis auctorita-  
tibus et foris solum quinque paroeciae remanserint, quibus aliae octo, in aliis regionibus croaticis sitae, adjunctae fuerunt.

Deinde introducto in Bosna et Hercegovina regimine Vi-  
cariorum Apostolicorum cum charaktere episcopali prius